



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

Epistola LXI. Alexandri Papae III. Ad Richardvm Cantvariensem
Archiepiscopvm, Et Ad Svffraganeos Eivs Reddita. De pace inter se &
Fridericum imperatorem inita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

necessarium opus assumpserint, nuntietis, & ita omnes ad exequendum quod suggerimus moneatis, quo per sollicitudinem & exhortationem vestram terra illa festinanter fidelium sentiat auxilium & iuuamen; & vos propter hoc ab omnipotenti Deo mercedem possitis consequi sempiternam. Datum Tusculani decimosexto Ianuarii.

EPISTOLA LXI.

ALEXANDRI PAPÆ III.

AD RICHARDVM CANTVARIENSEM
ARCHIEPISCOPVM, ET AD SVFFRAGANEOS
EIVS REDDITA.

De pace inter se & Fridericum imperatorem inita.

*Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus
Richardo Cantuariensi archiepiscopo & suffraganeis eius,
& dilectis filiis abbatibus specialiter ad Romanam eccle-
siam pertinentibus in archiepiscopatu Cantuariensi constitu-
tis, salutem & apostolicam benedictionem.*

IMMENSAS laudes & gratias agimus omnipotenti Deo, qui licet nauem Petri diu permisisset procellosa maris tempestate quassari, nunc tandem imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna, ita vt pacatis maris seuiantis fluctibus, prædicta nauis ad portum quietis reducta sit & salutis. Sane carissimus in Christo filius noster Fridericus illustris Romanorum imperator, proximo præterito die, dominica ante festum beati Iacobi, cum principibus ecclesiasticis & sæcularibus Teutonici regni, cum multa deuotione venit Venetiam ad præsentiam nostram: & ibi coram innumera multitudine virorum ac mulierum altis vocibus resonantium laudes Altissimo, nobis sicut summo pontifici omnem reuerentiam & honorem exhibuit, & in festo beati Iacobi nobis ad preces eius beati Marci ecclesiam adeuntibus pro celebrandis Missarum solenniis, obuiam venit: & finita Missa, quam a nobis licet indignis reuerenter audiuit, nobis omnem honorem exhibuit, quem prædecessores eius nostris consueuerunt antecessoribus exhibere. In Kalendis vero instantis mensis Augusti præfatus imperator vbi erat numerosa

hominum multitudo, in anima sua iurare fecit, & principes sui, quos presentes habebat, tam ecclesiastici quam seculares, præstito iuramento firmaverunt, quod pacem ecclesiæ perpetuo, & pacem carissimi in Christo filii nostri Vvilielmi illustris Siciliae regis vsque ad quindecim annos & treugam Longobardorum a prædictis Kalendis Augusti vsque ad sex annos, sicut pax & treuga ipsa disposita est, & tractata, & in scriptis redacta, illæsam debeat & illibatam seruare. Sicut autem idem imperator nos in catholicum papam & spiritualem patrem recepit, ita nos eum in catholicum imperatorem, & uxorem eius in catholicam imperatricem, & filium ipsorum in catholicum regem recepimus. Agite itaque gratias Creatori nostro, qui sponsam suam sacrosanctam ecclesiam sua miseratione respexit, & ei post multas persecutiones, quibus grauiter pressa est, & attrita, per suam gratiam plenam pacem reddidit & quietem. Data Venetiæ in Riualto octauo Idus Augusti.

EPISTOLA LXII.
ALEXANDRI PAPÆ III.

AD ROGERVM EBORACENSEM ARCHIEPISCOPVM,
ET HVGONEM DVNELMENSEM EPISCOPVM.

Eiusdem argumenti.

Alexander episcopus seruus seruorum Dei venerabilibus fratribus Rogero Eboracensi archiepiscopo, apostolicæ sedis legato, & Hugoni Dunelmensi episcopo, salutem & apostolicam benedictionem.

EXIGVNT gratissimæ deuotionis obsequia, quæ nobis & ecclesiæ tam deuote quam laudabiliter exhibuisse noscimini, vt felices successus ecclesiæ vobis, sicut specialibus & deuotis ecclesiæ filiis spiritualibus, describamus; cum dignum sit, & conueniens, & honestum, vt quos ita habuimus in nostra deuotione firmos & stabiles, de prosperitate nostra & ipsius ecclesiæ reddamus hilares & gaudentes. Agite itaque vna nobiscum gratias omnipotenti Deo, qui habitat in altissimis, & humilia respicit de superis, de cuius munere venit, vt sponsa sua sacrosancta ecclesia diu & grauiter procellosis fluctibus & validissima
tempe-